CHRISTOPHORI BARAUALI ... DE TEMPORE DANDI CATAPOTIA

Cristoforo Baravalle

34. 3. A. 2

EXCELL. VIRO
LVDOVICO ROCHAE
FORTI MARGERITAE
Biturigum,& Sabaudiæ
DVCIS MEDICO DIGNISSIMO
CHRISTOPHORVS
BARAVALVS S.

CVM vir clariſsime de purgantibus medicinis, quæ noſtro hoc æuo apud uiros excellentiores frequenti ſunt in uſu, à nobis interdum diſſereretur: oportuit tempus, quò neoterici non pauci dare catapotia ſolent, perpendere: Et quia quo tẽpore dormitum imus, aut primo excitamur à ſomno, hæc danda vt hi faciunt, numquam iudicaui: cum interim in ratione medendi temporis occaſio, ut Gal. dicebat præ omnibus ſit cognitu difficillima, quantum pro

mei ingenij virium imbecillitate potui, id ſum perſcrutatus, eo inſtituto, ut quicquid inuenirem tibi uiro doctiſſimo iudicandũ atque fouendum nuncuparem cum (ut tua in me, ac vniuerſam Rempublicam litterariam innumera beneficia præterea) is mihi uiſus ſis, qui tua ſumma eruditione, ac qua polles auctoritate, vtrunq; poſſis, & uelis. Hæc ergo paucula adinuenta benigno excipito animo, atque tuo acerrimo ingenio iudicato, ac tandem ſi tibi non indigna videbuntur, foueto, vt ab æmulorum iniurijs uindicentur. Vale ex Monte Regali. X I. Kal. Auguſti.

1565.

DOMINICVS VGATIVS CVNIENSIS LEctori. S. D.

QVANDO *quoſq. dignitatis gradus mecum ſigillatim repeto, neminem tot Encomijs dignum vi deo, quàm qui propria non tam laudi, quàm publicæ omnium ſaluti, & vtilitati conſulentes, labores vigiliaſq; ſuas edere non dedignantur. Quales vel maximè eos eſſe cenſeo, qui diſciplinarum leges, atq; præcepta ordine exponentes, necnon cuiuſq; rei veritati magis quàm opinionum lubricitati inhærentes, ad eius quam tractant facultatis metã, bonarum artium ſtudioſos doctrinæ potius integritate, quàm compoſitis arte uerbis perducere nituntur. Quod eruditiſsimo præceptori noſtro nunc uſuueniſſe, cum ipſe, qui quo tempore fœtum hunc ſanè elegantiſsimum moliebatur, ſub eo militabam, teſtari & debeam, & uerò cupiam, tum ipſius operis diligens, & maturata prælectio ingenuò lectori abundè (ut confido) demonſtrabit. Taceo Sereniſsimi, & omnium quos umquam ſol uiderit optimi Ducis noſtri locupletiſsimum teſtimonium: qui auctoris noſtri probitatem, diligentiam, eruditionemq; uſq; adeò comprobandum cenſuit, ut ad ordinariam praxim eum promouere uoluerit. Quambrem ſi (uti ſapien-*

tiſsimi ueteres tradiderunt) nullius tam abiecta nec tam indocta ſunt opera, quin aliquid ex ijs memoria dignum reportare poſsimus: ac proinde qualiacunq; ſint, legi tamen eruditiſsimis etiam poſſunt: Quid de his ſentiendum, quæ eruditione, & uenuſtate referta, maxime ſint cultoribus ſuis uſui, atque ornamento futura? & niſi penitus a muſis auerſi ſimus, ea procul dubio manibus aſsiduè terenda & ſedulò euoluenda putabimus. Cũ igitur hoc quod modo in lucem prodijſſe uides huiuſmodi eſſe, ubi primùm legeris, te iudicaturum ſperem, id mihi tantummodo nunc obnixè rogandus uideris, ut ſcilicet auctorem laudes, libellum foueas, & nos uiciſſim ſummoperè diligas. Vale.

QVOD nonnulli ex neotericis medicis congruum exiſtimant tempus, pro pillulis aſſumendis, hora ea eſt, qua vel dormitum itur, uel primo excitamur à ſomno: quod cum nobis haud placere poſsit, atque multo minus rationes quibus in id operis ducuntur, quo me quoq; poſſem hoc de errore facere certiorem, aliquãtiſper laborandum duxi. Quapropter quæ tali in negotio, ſumus noſtrę artis medicæ parentum auctoritate reique huius à natura nacti, ea ſic chartis cõmittere decreuimus: ut prius ſua referantur fundamenta, poſtea perſoluantur. Demũ autem his quæ contra noſtram ſententiam poſſunt fieri, argumentis ſatisfiat.

Primum itaque, quod faciunt, fundamentum eſt: quia hæc medicamenta, quæ ſanè ſolida admouentur, facilius tunc temporis poterunt liqueri, quàm perfecta ipſa in aurora digeſtione.

Reliquum autem eſt, quoniam tunc liquata medicamenta multo facilius, cum ſibi vaporibus ad partes euacuandas deferentur

rentur: & ideò dum caput ſibi purgandũ cenſent, pillulas eo aſſumendas tempore præſcribunt.

Iam horum primum, ac debile magis quàm alterum examinandum ſumamus, & ab his quidem, quæ & ſenſus noſtros vix aufugiunt, & rationẽ latere non poſſunt. Sic enim in vtriuſque horum argumentorum reſolutione procedere deliberamus, atque in noſtræ ſententiæ cõſtructionem, ac in earum, quæ contra ipſam poſſunt oriri difficultatum, declaratione: quoniam qui hoc modo quid intelligit, ſe naturam rei, de qua ſermo illi eſt, nactum ſciat: & hanc ob rem ſe aſſecuturum eorum omnium quæ circa eam contingunt, notitiã.

Videamus ergò num hac ducti ratione, id benè faciant: & in primis fateamur oportere ſolida medicamenta liqueri, ſi ex potentia debeant in actum deduci, ut quam pollicentur, præſtẽt purgationem: ac ideo hos hinc non illepide moueri. At quod nõ animaduertunt eſt ſe poſſe tempore alio hoc munere fungi, quo nullam cuipiam naturalium functionũ noxam præſtabunt. porrò nemo poteſt non cognoſcere, quod

tali

tali ex pharmaci exhibitione naturæ, quæ ſemper nutritionem expetit, non vulgare nocumentum comparabitur, quoniam medicamentum facta ciborum digeſtione, & ſui liquatione duorum alterum faciet, vel enim à cibis vincetur, vel vice verſa ab eo cibi: ſi illud eueniet, profecto ſcopo fruſtrabimur optato, quia id vna cum nutrimento totum in corpus digeſtum expandetur, quare nullam faciet purgationem.

Quòd ſi cibi a pharmaco regentur, idq; ſuo fungatur munere, primùm proximum ſibi nutrimentũ educet. Quapropter maximam vniuerſa corporis moles, & eius virtus noxam patientur, nõ habito quo tunc poſsint, & nutriri, & foueri: quod ne opera medici contingat, paſsim ab admirabili Galeno monemur.

At ſi forte horũ neutrũ velint admittere aduerſarij, quę tñ putamus (niſi rationibus nos conuicerint) admittenda, cogemus illos procul dubio concedere non vulgare ſaltem nocumentũ digerenti facultati hoc ex pharmaco comparari, cuius rei, eſto Hippocrates quarto reg. acut. teſtis, vbi ptyſanã, ne dum pharmaca, niſi prius vnaquæq;

quæq; confecta digeſtione, nullo iure cuipiam admoueri cócedit, ne inchoatæ digeſtioni noua ſimus ſorbitione impedimento. Et poſt Hippocratem ſit etiam Galenus cùm a ibi ſæpe, tum præcipuè in libris de naturalibus facultatibus, quando inquit, cum natura, quæ corporum omnium eſt conſeruatrix, & morborum omnium finitrix, alicui incumbit operi, nulla debet ratione medicus illam aliud ad opus retrahere: verùm ſi pillulas eo tempore, quod iſti congruum magis autumant, quo natura vel vltimæ digeſtioni, vel ſaltem nutritioni inuigilat, dederimus: certè eo ab opere tũ prꝫſtantiſsimo, tùm perneceſſario eam ad medicamenti regimen euocabimus. Quod ut innoteſcat, aliud Hippocratis decretum ſecundo reg. acutorum examinemus oportet, vbi in ſolutione media ne ſorbitionem quidem dare hortabatur: ſiquidē ex Galeno in comměto prꝫcꝫteris quæ mihi animaduertenda uolui, id fuit prꝫcipuum, quod in hoc ab Hippocrate ſic dehortamur, quia natura pharmaco defatigata digererere ſorbitionem non poterit: Nos pari ratione dicere poſſumus, quod media

in di-

in digeſtione, ſi quodpiă exibebitur pharmacum, partim natura digeſtionis obliuiſcetur, datoque medicamento incūbent.

Nec eſt, cur quis nobis occurrat, quod quando dormitum itur, aut poſt primum ſomnum, non ſe habeat vt diximus, digeſtio: & primun quidem, niſi fortè brutorum animantium more ſtatim a cibis decumbant hi, quibus illa exhibentur, nec ſecundum, quia tunc natura vltimæ ſaltem digeſtioni, aut nutritioni inuigilat, & eo magis, cum illi longiori ſit opus tempore, ad id perficiendum in his, qui male ſe habent, quales, vt plurimum ſunt, quibus præſcribuntur medicamenta.

Nec etiam quis meritò dicere poteſt naturam tunc vtrique æque benè ſatisfacturā, ſcopo ne rationi refragetur: nam mouens mobile, vnum ut quatuor, citius ſanè & melius id mouebit, quàm mobile vt ſex, aut vt octo: ſic natura prius ſoli cibo incombebat, nunc autem & illis, & pharmaco, quare non æque bene. Debemus igitur in aſſumpto hoc negotio aliud eligere tēpus: quo ſi medicamenta hæc admouebuntur, noſtrum non ſit, hæſitare, an dum id

operis præſtabunt, quod ab eis optamus, poſsint alicui obeſſe naturali operationi? quod verò id ſit, ubi alteri horum fundamento erit ſatisfactũ, monſtrabitur: quod iam, primo hoc euerſo, fieri neceſſe eſt.

Secundum fundamentum, quod ſibi aſſumunt ij, qui pillulas hoc modo duntaxat ſciunt exhibere, erat quod facilius tũc a cibi vaporibus in partem euacuandam deferuntur.

Hoc fundamentum & ſi partim ex iam dictis ſit euerſum, nihilominus quò longè magis veritas eluceſcat, eſt ad alia properandum, quippe quòd medicamenta, ſi debeant purgare, accedant partes euacuandas, denegadum. quia autem ij medicamenti id genus potiſsimum admouent, vt caput purgetur: videamus, quare concedere non poſsumus, quod illud, iccirco medicamenta petant.

Primum enim erit fundamentum, quia nobis haud ſatis conſtare poteſt, qua vi vapores ij qui fermè ſunt minimi, poſsint viſcidos illos ſuccos, quibus vt plurimum caput repletur, educere.

Secunda erit ratio, quod aſſequi non

poſſu

poſſumus, qua poſsint ratione vapores iſti præter ſuccos, quibus primum occurrunt, alios è ſolidorum membrorum partibus internis, quę etiã maximè diſtant, educere, vt ſæpenumero fieri optimi cognoſcunt medici.

Tertia erit cauſa, quod nullo tueri poſſimus argumento reſiliẽtes à pillulis in ventre exiſtentibus vapores, dũ caput petunt, non reſoluantur vimque ſuam non amittant: illud ob partium, per quas illis eſt tranſeundum, calorem; hoc autem à ciborum humiditate, qua comite horum ſententia, illuc deferuntur.

Quarta ratio eſt quia medicamenta trahunt ad ſe humores, ut magnes ferrũ, quod paſsim oſtendit Galenus: dicere cogemur, quod humoribus maximè replebitur, vbi debet euacuari caput: porrò ſi medicamentum partem hanc euacuandã accedit; cum ibi erit toto à reliquo corpore humores ad ſe ipſum in, caput attrahet.

Quinta erit ratio ne latum quidem vnguem noſtris è ſenſibus deflectens: nam his datis pillulis haud videmus ex capite per aures, aut oculos, vel nares, aut per pa-

latum hos ſuccos educi, vbi etiam patent à cerebro viæ, ſed per ventrem ipſum: iam niſi vapores in caput delati cognoſcerent eò ſibi tranſeundum, potius quàm per dictas uias, profectò deberent per has etiam regiones caput purgare: quòd autem id cognoſcant, ne quidem cogitandum, nedum dicendum uenit. Quare uis hęc purgandi eſt in aliud conferenda, quàm in uaporum ad partem euacuandum aſcenſum.

Sexto uix umquam percipiet quiſpiam, quo modo tā parua à medicaméti mole poſſint tot effluere uapores, quot pro ſingulis corporis partibus effluere oporteret: nā cū omnes (ut liquidò ſatis optimis medicis cōſpicitur) purgentur, neceſſe eſt hęc medicamenta ad eas omnes accedant, & ideò copioſiſsimas ab eo partes, uel uapores eleuari.

Demum autem horum Neotericorum fatua admodum hæreſi ſtante, dato medicamento, illoque uomitu prorſus reiecto nulla fieret purgatio; cuius tamen contrarium ſępe experimur.

His ergo conſtat rationibus, nos haud temere negare, harum pillularū corpuſcu-

la dum

la dum hoc modo euacuare exoptamus, caput aſcendere,& ideò iure iſtò una ſecundi horum fundamenti euerſa parte alteram examinemus: num uidelicet à ciborum digeſtione, perpetuò in caput uapores reſiliant, nam uidentur boni ij uiri aſcenſum hunc perpetuum conſtituere: cùm ſingulis nulla præmiſſa differentia, nullaque horum ſuorum uaporum habita animaduerſione, hæc præſcribant medicamenta: ac ſi ſciant illos in caput neceſſariò aſcenſuros ac huiuſmodi data medicamenta, ab illis eò facilè deferenda.

Iſtud arbitrari mihi (horum pace dixerim) non parum uidetur ridiculum: Quandoquidem ſi cibos haud in caput euaporabiles quis aſſumat, tuncque huius generis medicamentum aliquod propinetur, caput ſanè purgabitur, nulli tamen ciborum uapores ipſum petierunt. Nec eſt cur quis nobis occurrat, quod his aſſumptis cibis pauci poſsint eò uapores è uentre effluere, ſi non plurimi: quia duo hos rogatos optabimus, primum, qua ratione paucos hos uapores his à cibis eleuatos caput petere, mihi fiat compertum: cum id nec ſenſu aſ-

ſequi, nec ratione nanciſci ualeam, quòd hi cibi uapores ullos haud gignere poſſint. Secundum, dato, hos uapores ſuos & equidem paucos, caput accedere: quæſumus, quot ſecum ex medicamenti uaporibus portabunt, certè paucos dicant oportet. Et hanc ob rem ab illis nullam uel modicam faciundam purgationem: cuius tamen contrarium ſæpius uidemus: quia præſcripta uesperi dũtaxat panatella, & ſequenti mane datis pillulis, magna redundãtium ſuccorum ratione, fiet euacuatio. Cæterum his omiſsis rationibus, aliam cõſtruamus; nec cenet Socrates, deinde congrua illi hora vnum ex ſuis medicamentis exhibeatur. Concepta capitis repletio tali à medicamento omnino diminuetur, quare niſi quid velint aduerſarij frequentiſsimam in experiẽtiam excogitare, nobis aſſentiri coguntur, cum modo hoc à præſcriptis pharmacis congruè corpus, nedum ſolum caput, euacuetur.

Demum ſi horum ſana foret doctrina, optato ſemper fruſtraremur ſcopo, dum & huius generis & aliorum purgantium aliquod omnibus perfectis digeſtionibus medica-

medicamētum exhibemus: cum tunc a cibis non poſsint amplius vapores eleuari, quia iam in alimentum, partimq; in excrementa ſunt conuerſi; quia tamen talia modo hoc præſcripta medicamenta ni forte corpora cæleſtia nobis ſint impedimento, aut humores medicamento rebelles, aut corpus non factum fluidū, minimè nos fallant: immo laborantibus non paruo ſimus auxilio, hos decipi liberè pronuntiare poſſumus, rationeſque ſuas falſas, nedum friuolas, aſſerere.

Perpendamus itaque nos qua debeant hora exhiberi medicamenta, quæ nec inter eundem dormitum, nec quando primo expergefimus à ſomno dari poſſunt, verùm quò id multò cōmodius oſtendamus, prius videre oportet, quomodo hęc à medicamētis fiat purgatio; quod ut paucis abſoluatur: primum ad antiquū magiſtrum Hippocratē in libro de natura humana, deinde ad Galenum haud paucis in locis eſt accedendū: porro Hippocrates adeo manifeſtè id oſtendit ne Galenus contextum illum alioquin famoſiſsimum longiori commento egere crediderit, quem tamen alibi diffuſe, & ad

dicamentũ corpus id primum trahit, quod illi maximè ſecundum naturam eſt, ex his quæ corpori inſunt, ad hæc vero reliqua trahit, & purgat, non ſecus ac ſtirpes, ſemina quoq; vbi terram ſubierint trahunt ſingula id quod ſibi ipſis ſecundum naturam eſt; ex his quæ terræ inſunt: ineſt autem & acidum, dulce, amarumq;, & ſalſum, omnigenumq;: primum quàm multũ eius trahunt in ſe ipſa, quod maximè poſſunt per naturam, dehinc verò & alia. Tale quid faciunt & in corpore medicamẽta, quæ enim bilem educunt in primis ſinceriſsimam purgant, dehinc commixtam: & medicamenta pituitę, primùm pituitam ducunt ſcinceriſsimam, dehinc commixtam. & hactenus Hippocrates. Qui quàm clarè his docuerit verbis modum, quo purgatio fiat, & lippis, & tonſoribus conſtat: quandoquidẽ non contentus ſe id in vniuerſum docuiſſe, etiam voluit ſenſui manifeſta ſubſcribere teſtimonia

Nos autem cum Galeno tum alibi ſæpe, tum præſertim in ſecundo de elementis capite vltimo in primoq; ſecundoq; & tertio de facultatibus naturalibus id perpẽdamus non equidem quia hanc Galenus Hippocratis ſententiam commentętur, at ut primum

oſten

oſtendat an vno animantia nutriantur cum Ariſtotele humore, an pluribus cum Hippocrate, & alibi vt Aſchipiadis, Epicuriq; fatuitates oſtenderet, illius vim nullam attractricem concedentis, huius autem plura, pro cauſa attractionis rerum omnium oſtēdenda, ridicula pronuntiantis.

Scribere autem quæ Galenus his habuit in locis, non decreuimus: at eos ad ea perlegenda ablegare, qui vapores ſuos ad partes euacuandas, ſi purgatio faciunda ſit, accedere uolunt: nam ſi primum poterunt demonſtrare nutriendas partes vapores aliquos ad nutrimentum attrahendum mandare, ſuæ nō poterimus nō acquieſcere doctrinæ, cū eadem propemodū ſit nutritionis in hoc & purgationis ratio, cū ſi debeat vtraq; actio fieri pernecceſſarium ſit, & partem nutriendam, & aſſumptum medicamentum, quod ſibi eſt per naturam magis in corpore cōueniens attrahere, ſubinde vero omnigenum. Poſtea cū Epicuro quod lapis Herculeus vapores aliquos ad attrahendum ferrum mittat, facile monſtrabunt & hos ad euacuandum humorem a medicamento mitti: cum

eſt cur ſuæ vlterius inſiſtent ſentétiæ. Demũ verò ſi docere poterunt quos in aculeum, pedi adeo infixum ne violenter attrahentis digitos, ſequeretur, mitat anagallis vapores, facil'imo negotio ſuam facient clariſsimam doctrinã: cum tamen id nulla poſsint coniectura comparatum monſtrare, non debent poſt hac ſua iſta in hæreſi perſiſtere.

Reliquum ergo eſt vt Neotericos hos medicos ad hanc ſuccorũ a capite purgationẽ alicui ipſius medicaméti facultati aſſcribendum trahamus, non uerò ſuis & ciborum & medicamenti in ventre liquati vaporibus.

Cui autem actioné hanc aſſcribere ij nobiſcũ debeant facultati, non magno cognoſcent labore, ſi Galenũ poſt Hippocraté loco ſuperius dicto, ſibi duxerint vidédũ: quo in loco ſatis admiratur Aſclepiadem omné refellenté attractũ, quia nullã eius nanciſci poterat cauſam, eamq; ipſi hunc in modum declarãtem, ſi rerum ſubſtantias ſibi ſemper vnitas eſſe, ſuiſq; a partibus mutuo inter ſe agétibus, & patientibus alterari cognouiſſe perfacile naturã facultates habere, quibus côuenientia ad ſe trahit, & aliena a ſe repellit, iniuiſſet: habent ergo & medicamenta propriam qua ad ſe trahunt, quę in corpore

ſibi cõueniẽtia inſunt excremẽta, facultatẽ. Quo verò modo hæc facultas attrahẽdum contangat humorẽ, quod ad hanc attractio nem neceſſarium arbitramur oſtendendã, iam operæ pretiũ eſt dicere. Cũ ergo in uen tre uel in inteſtinis exiſtit medicamentũ, in primis ſuã hanc facultatem proximis imprimit partibus, deinde & alijs ſucceſſiuè, donec ad partẽ euacuandam ſit peruentum, in qua exiſtens humor hac alteratur a facultate & ſic affectus in uentrẽ, aut in inteſtina, ubi huius attractionis exiſtit principiũ, mouetur quò quando acceſsit is humor, a facultate eius membri expultricè propellitur: Quare aut per deiectionẽ, aut per uomitũ excernitur, nec quis nobis occurrere debet, quod nolit Philoſophus .7. Phyſicorum ullum attrahens ab attracto eſſe ſeiunctũ, quoniã id ueriſsimum putamus reali in attractione

percurrerēt, ſuaque caliditate,aut ſpiritus, aut humores non accenderent.

Secundum eſt quia datis cauſa exēpli pro urina cienda medicamētis,ſcopũ nō aſſeque remur, ſi eò non proficiſcerentur uapores, quibus materię renũ uias intercipientes poſ ſint euacuari. Eſt tertium ualidiſsimũ dubiũ quia ſi mulieri lactanti purgans dabitur medicamentum,experientia conſtat pueros ipſos purgari quod fieri non poſſet ſi eò me dicamentum non iuiſſet.

Primũ horũ fundamentum expendenti quę Galenus,ac Ariſtoteles, & ante eum diuiniſ ſimus Hipp. habuerunt,nullum facit negotium:quandoquidē ſæpe accenditur febris, purgantibus aſſumptis medicamentis, non tamen (ſententia noſtra) ob eorum caliditatem,at humorũ externis à partibus ad internas motũ, cuius attractrix medicamenti facultas eſt cauſa. Præterea corporis calorem non intendunt ingeſti medicamenti calidi uapores, ſed attracti humores, qui fortè nō alterati cordis dextrũ uentrem percurrētes ibi inuentũ ſanguinē calefaciunt: aut quia nondum fluida facta ſint corpora. Quapropter magna fiat humorum exagitatio, &inde febris accendatur.

Ad ſecundũ dicimus urinã cientia medica 48
mẽta duplici eſſe ĩ genere, quia alia materias renũ regiones intercipiẽtes ad inteſtina aut uẽtriculũ (& ſi eò non accedant): attrahunt & alia eſſe quæ alterando materiam inde tñ eam ad inteſtina non educentia urinã ciere poſſunt. Quare quæ primi ſunt generis de quibus nobis eſt ſermo, urinam, & ſi eò non proficiſcantur, ciere poſſunt: quæ autem ſecundæ ſunt claſsis, illuc neceſſariò accedũt.

Ad tertiũ ſi debeat reſponderi, in memoriam reuocentur, quæ de modo huius attractionis diximus, porrò cum medicamẽti facultas mammas acceſsit lac ab ea alteratur: qđ deinde ſi a puero ſugatur cũ tenerrimũ habeant corpus, ſuccos que ob tenuitatem purgationi paratos, non magno purgabuntur negotio: quod non niſi in facultatẽ medicamenti eſt conferendum. & hunc in modum ſi fuerit perpenſum, qualis ſit hæc facultas, qua is motus fit oſtẽdere poterimus, quo tempore concinne queant ægrotis huiuſmodi medicamenta admoueri. Quare, qui acri ſit ingenio præditus iuuenis animaduertat, quod ſi motus hic ſit attractio,

aliquod, quò a capite humores educant dabitur, motus is attactrici medicamenti facultati aſſcribatur.

Conſideremus nunc quando poſsint hæc citra has noxas exhiberi, & quòd ad id quæſitum attinet, breui perſoluamus. Nam cõgruũ magis id erit tempus quò omnia in attractione repoſita munera facilius poterunt preſtari.

Quod tunc fiet, quando nullum aderit illi facultati impedimentum, quin in totũ poſsit corpus expandi. Oportet ergo eam omni liberam opere, quia ſi alij imcumbat negotio, hoc aliud æquè bene nõ perficiet, Deinde nihil eſſe oportet quod illius prohibeat expanſionem. Tale autem tempus mihi uidetur eſſe matutinum, quia tunc natura nulli amplius naturali ſtudet actioni, nec ullæ proximis ipſi uentri & inteſtinis partibus exiſtunt humiditates, quæ illam facultatem aut immutent, aut ſaltem remorentur. Quapropter tunc, non autem quando itur dormitum aut primò expergeſit a ſomno, iſtęc exhibeantur medicamenta. Et hoc modo Duce Chriſto Finis.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE